

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S. in Domino.

Piscatoris causam omnem proximis ad vos literis perscripsi. Interim Tubinga ipse reversus est, sed infecta re, quod D. Jacobus jam in itinere erat Mumpelgardico. Comitem ille habuit suum Küglerum; cujus quæ fuerit in altera collatione modestia, scitis. Nunc ad te Thuringicas res perscribam. Acceperat superioribus mensibus Elector Saxonicus ex pacto quatuor Praefecturas, ex quibus confestim Flacianos omnes, numero quinquaginta ejecit. II apud D. Joannem Wilhelmum latent. Accidentarii Jenenses valde sæviunt, & Diaconos duos Vinarienses, quod id Accidens repudiasent, suis conclusos adibus tenent, & Disputationem cum iis urgent, quod neque Aldeburgi ante triennium Wittebergenses, neque Illyricus in sua causa impetrare potuit. Hi nimirum sunt, ut existimandum, non doctissimi; quos facile se superaturos, & Sophisticis nugis ab ipso scopo abducturos opinantur. Sed hanc proteruiam judicabit Dominus. Illyricus à D. Parente persuasus, ad adventum D. Jacobi, si de re ipsa convenire nobis poterit, Substantia vocabulum paratus est abjicere, de quo plura coram ex D. Parente vestro vel me audietis: siquidem Friburgum potero excurrere. Ego tametsi vobis, quod Basilea estis, non invideo; tamen doleo, vos isthic facere in copia doctissimorum hominum, quod hic à vobis in tanta istorum inopia fieri, utilius nobis esset. M. Florus hæctenus adduci non potuit, ut plus quam tertias vices ageret. Ita decumbente vel occupato hero, vides quid mihi incumbat? Itaque & doleo, vos abesse, qui huic cælo humeros supponatis, & opto, vos adesse, ut me vestro exemplo alacrem, judicio politicum, industria diligentem efficiatis. Piscator fecisset, si suam pietatem quam alienam pravitatem maluisset sequi. Nunc conclamaturo video esse. Vale in Domino, mi suavissime Erasme, & his nugis ne offendor: tametsi ex apud me quidem, maxime seria ducam. Argentorato prid. Calend. Augusti, A. 1571.

Tuus ex animo frater

Johann. Pappus.



S. D. Andream tecum jam esse, gratissimum interpellatorem, nihil dubitatur, qui istinc Durlacum & Pfortzheimium versus se profecturum se constituat, te præsertim optatissimo comite. Et quia ad Ecclesiam juvandam plurimum conferre præsentia tua potest, obtinebit arbitror à te, si qua fieri poterit, ut comitatum non recuses. De M. Philippi affectu consilium medi-

cum habere nondum potuimus, ob absentiam D. Isaaci, qui præter suam & nostram opinionem detinetur à colica laborante primæ nobilitatis viro diutius, quam & ipse & nos velimus. Ubi primum reversus fuerit, quod hodie aut cras futurum speramus, efficiam, ut conscribatur Medicorum de hujusce affectus curatione consilium, quo ad te perferri possit. Quid Montpelgardi D. Jacobus effecerit, quid item apud vos, quæso vel per D. Pappum, filium tuum, nostrum fratrem, perscribas, & bene valeas in Christo JESU, cum honestiss. conjugè. Dn. Dn. Scholarchis & Symmists, quos meis & collegarum verbis salvos jube. Basil. 9. Augusti, Anno 1571.

Tuus ut semper ex animo

S. Sulcerus.



LXII.

Salutem in Domino.

Tamet si à vobis magis literas expectabam, meis jam tribus Epistolis respondentibus, tamen cum Weislandus ad vos iret, facere non potui, quin vel nihil scriberem. De Piscatore credo me vobis satisfecisse, Sturmianam diligentiam opinor significatam vobis esse, ab Havvenreuto deinceps cavitos non dubito. Nunc hoc tantum addo: simulari, dissimulari à quibusvis omnia, & ea esse tempora, quibus & vos abesse, ut nunc sunt res, gaudeam, & me interesse doleam. De Peccato Originis quædam Weislando communicavi, quæ rectè posse arbitrabar; cætera Dn. Parens coram vobis narrabit. Ego ut speraveram, Friburgum venire non possum, vel propter Dn. Doctoris vices, quæ mihi subeundæ erunt, vel propter pitritinum Typographicum. Cuditur enim hic quidam M. Davidis Cunilæ Memmingensis libellus Germanicus, cujus editioni me præesse Avus meus voluit. Et quia tardius ad meas respondetis literas, ego non expectato consilio vestro, Mercurii proximo, Confessionis Augustanæ explicationem inchoabo. Quod ut fiat bonis, non auspiciis, neque avibus, sed exordiis & progressibus, DEUM precor, & vos oraturos, non diffido. M. Florus, ut tertias agat vices, vix potest exorari, sed putatur, Epistolæ ad Romanos explicationem suscepturus. *Θρασηδία, ἀνδάνια, φθίνου, ἰερί* si virtutes sunt, ego nuper ab eo multis virtutibus honoratus & oneratus sum. Concionem ille suam Mercurialem (sed mihi minimè talem) nemini commendaverat; ego cum jam hora instaret, divino credo ego instinctu, diabolico ille arbitratur actu, de concionis argumento cogitavi, quod proponi posset, si neminem ille substituis-

set.